

DEi determinari vim animæ ad perceptiones motuum in corpore factorum, & per eundem dirigi spiritus animales ad productiones motuum ab anima volitorum. Evitamus quoque difficultates harmoniæ præstabilitæ oppositas. Hoc unicum in nostra hypothese ponitur, animam habere spiritualement quendam facultatem commovendi quædam corpora, & percipiendi corporum quorundam motus, quod ex supra dictis non solum possibile est, sed etiam quotidiana omnium hominum experientia confirmatur.

## §. IX.

Si quæras, qua ratione corpus, vel membra ejus moveantur imperio voluntatis nostræ; Respondemus, uti planetæ DEi imperio moventur, sic membra corporis nostri, v. g. manus, pedes moventur imperio mentis nostræ. Possibilem talem motum esse, ex supra dictis constat, talem enim animam DEus creare potest. Talem existere motum membrorum nostrorum, experientia testatur, nam ad imperium animæ meæ manus mea scribit, & pedes ambulant. Si quæras porro, qua ratione percipiat anima nostra actiones in corpore factas; Respondemus: Uti DEus percipit omnia, quæ in universo fiunt mundo, sic etiam anima nostra percipit, quæ fiunt in corpore nostro. Possibilitas constat, & experientia id testatur.

## §. X.

Insunt animæ nostræ plures spirituales potentia, quas lubenter admittimus. Adest potentia varia intelligendi, ratiocinandi, finem proponendi, & media ad eum ducentia seligendi. Adest potentia DEum cognoscendi, eum laudandi & adorandi. Dedit DEus tales potentias animæ nostræ eum in finem, ut agnoscamus Conditorum & Conservatorem rerum omnium. Si demeris animæ nostræ has potentias, nullus homo DEum cognoscere poterit. Nemo sapientiam, potentiam & benignitatem DEi agnoscet. Admiranda est animæ humanæ acies & penetratio, inventionum subtilitas, memoriæ profunditas, prudentia &c. quæ omnia divinitatis radiis lucent. Elevatur anima nostra ex pulvere particularum, in quem a quibusdam detruditur, & reducitur quodammodo in dignitatem a DEo acceptam.

## §. XI. Licet